

15  
**DISSERTATIO**  
INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**DYSENTERIA,**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI  
**P R A E S I D I S**

NEC NON  
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

IN  
**ALMA AC CELEBERRIMA**  
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA  
PRO DOCTORATUS MEDICINAE LAUREA

OPTINENDA

CONSCRIPSIT

**NICOLAUS LONOVICS,**

HUNGARUS MAGNO-VARADINENSIS.

---

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universi-  
tatis majore die 10ma Augusti 1835.

---

**B U D A E,**  
TYPIS REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HUNG.

1 8 3 5.

Oportet exacte perdiscere unam quamque temporum  
constitutionem et ipsum morbum.

Hippocrates.

*Lib. III. de morbis popularibus.*



**PATRI OPTIMO  
ARTIS MEDICAE DOCTORI.**



**Gratissimus Filius.**

## Nomenclatura morbi.

**G**raece *δυσεντερία* a *δυσ* male, et *εντερον* intestinum. Lat. difficultas intestinorum. Aliis: fluxus dysentericus, flumen dysentericum, fluxus cruentus cum tenesmo, diarrhoea sanguinea dysenterica, rheumatismus intestinorum. Hung. vérhas. Germ. die Ruhr, Schwerdarmigkeit, Blutrühr, Blutzwang, das Rothe Gall. la Dysenterie.

## Definitio.

Dysenteria est profluvium tubi intestinalis, febris diversi characteris iunctum, intestinorum torminibus, ac tenesmo insigne. — Morbus hic summe molestus occurrit aestatis sub fine, in serum autumnum, raro maturius; epidemicus, interdum sporadicus, valde dolorificus cum torminibus, ac continuo ad alvum deponendam, sed inani fere stimulo, et puriformis, saepe cruentae, aut alio modo alienatae materiae, sub diro tenesmo, defluxu.

Exstant iam Hippocratis, patris medicinae, de dysenteria, hominum saluti insidiosa, observata, — neque Aretaeus vilem retulit gloriae palmam, dum vividam morbi descriptionem nepotibus transcripsit; rectius tamen, post

conatus ingeniosos Sydenhami, natura morbi a pluribus observatoribus illustrata fuit seculo XVIII., et incipiente seculo XIX.

T. H. Degner, *Historia medica de dysenteria bilioso-contagiosa, quae anno 1730 Neomagi et in vicino ei pagis epidemice grassata fuit. Traiecti ad Rhenum. 1754.*

Rahn, *Anleitung zur richtigen Erkenntniss, und vernünftigen Heilung der Ruhr. Zürich. 1760.*

T. G. Zimmermann, *von der Ruhr unter dem Volke im Jahre 1765. Zürich. 1767.*

T. C. G. Ackermann, *de dysenteriae antiquitatibus. Lipsiae. 1777.*

M. Stoll, *de natura et indole dysenteriae commentatio. Rationis medendi. P. III. p. 247—352. Vien. 1780.*

B. Moseley, *Observations on the dysentery of the West-Indies. London. 1781.*

T. Rollo, *Observations on the acute dysentery. London. 1786.*

T. Rolle, *Neue Bemerkungen über die mit Fieber verbundene Ruhr. Leipzig. 1787.*

Birnstiel, *de dysenteria. Manheimii. 1786.*

G. L. Mursinna, *Beobachtungen über die Ruhr und die Faulfieber. Berlin. 1787.*

Barbou, *Diss. de dysenteria contagiosa, praecipue in Indiis orientalibus observata. Lugd. Batav. 1788.*

G. H. Jawandts, *Beobachtung einer Ruhr-Epidemie im Meiningischen, im Monate September und October 1791. Riga. 1794.*

T. Pauli, *Geschichte der Ruhr-Epidemie zu Mainz. 1793. Erfurt. 1795.*

F. W. C. Humius, *Abhandlung über die Ursachen und Heilung der Ruhr, und ihre Complicationen. Jena. 1797.*

- K. C. Matthaei, über die epidemische Ruhr. Hannover. 1797.
- I. P. Vogler, von der Ruhr und ihrer Heilart. Gießen. 1797.
- Rademacher, Libellus de dysenteria. Coloniae. 1800.
- E. Horn, Versuch über die Natur und Heilung der Ruhr. Erfurt. 1896.
- F. Speyer, Versuch über die Natur und Behandlungsart der Ruhr. Nürnberg. 1809.
- P. E. Wauters, Commentarius theoretico - practicus de dysenteria. Gandaviae. 1810.
- G. Wedekind, über die Ruhr, herausg. von Danenberg. Frankf. a. M. 1811.
- M. Vignes, Traité complet de la dysentérie et de la diarrhée. Paris. 1825.
- Marc. Akenside, Comment. de dysenteria (in Schlegel theo. path. ther. Tom. 1.)
- Richter, medic. und chirur. Bemerk. Vol. I. cap. V.

### Differentiae Dysenteriae.

Opus naturae, sagacitate humana vix perspiciendum, et arte obiter hinc inde imitandum, stupendam in sinu suo fovens rerum varietatem, uberrimum pandit admirationis campum; etenim, missis aliis, quis non animadvertet in varietates, et momenta, quibus non solum integrae gentes, sed singuli homines differunt? quis medicorum cum artis medicae opprobrio affirmabit, singulo homini suam non convenire constitutionem individualement? concessa solum constitutione, singulo individuo propria, morborum differentiae, et morbi eiusdem, sub diversa forma, in singulis individuis comparitiones explicantur. Sic in ipsa dysenteria lusum naturae admirari opportuna est occasio, si quidem illa in singulo fere individuo aliam induit formam,

quam ob rem has ferme distinguere licet dysenteriae varietates:

I. Diff. exsurgit ab indole materiae per alvum excretae diversa, ratione cuius distinguitur 1) serosa, dum serum, 2) mucosa, dum mucus, 3) verminosa, dum vermes per alvum fluunt. 4) biliosa, dum bilis morbose excernitur. C. Zimmermann, signa poly- et cacocholiae observans morbum a bile acri, membranam mucosam intestinorum irritante, repetebat.

II. Diff. exsurgit a colore materiae, per alvum excretae diverso, ratione cuius dividitur 1) in dysenteriam albam, dum liquidum evacuatum est alboopacum, puriforme. et 2) in dys. rubram, dum liquidis excretis sanguis aut immixtus est, aut purus evacuatur. Tali forma frequenter in Hungaria occurrit, ideo dicitur morbus Vérhas.

III. Diff. exsurgit a duratione morbi, respectu cuius distinguitur dysenteria in acutam, et chronicam.

IV. Diff. exsurgit relate ad typum, estque hoc respectu, continua, vel intermittens (febrilis), dum nempe symptoma, febris intermittens constituit. — Denique a complicationibus exsurgit notabilis illa dysenteriae distinctio in simplicem et complicatam. Simplex audit, quae sola existens cum nullo alio vitio in connubio est; complicata dicitur, quae cum aliquo morbo nexa occurrit, — sic complicatur cum phlogosi topica partis alicuius, cum exanthemate, vel aliis morbis. C. Raimann in morbo coram posito signa inflammationis indubia, dolorem in abdomine scindentem, prementem, lacerantem, ad omnem adtactum augendum observans, ad classem phlogosium nomine Enteritidis retulit. In morbo tam simplice, quam complicato relate ad symptomata differentia maxima inducitur per characterem dynamicum febris, quae iam mitior, iam intensior dysenteriae ita iuncta est, ut non pauci nosologi sub nomine febris dysentericae, ad classem febrium retulerint,

et Sydenham declaraverit, dysenteriam nil aliud esse, quam febrim in tubum intestinalem conversam. Febris haec variat caractere, intensitate, et forma, — frequentissime habet characterem inflammatorium mitiorem, raro simplicem, saepe simul aeger divexatur doloribus extremitatum lacerantibus, ita ut morbus habeat formam febris rheumaticae, ideo M. Stoll docuit dysenteriam nil aliud esse, quam rheumatismum intestinorum; in aliis aegris, et epidemiis observantur, symptomata subinflammatoria in membrana mucosa; ideo Galli declarant dysenteriam nil aliud esse, quam catarrhum tubi intestinalis. Non raro febris dysenteriam concomitans est intensior inflammatoria, et tunc vocatur dysenteria inflammatoria sthenica (arteriosa), cum symptomatibus synochae celeriter decurrens. Longe plurimae dysenteriae, sub exordio characterem inflammatorium exhibent, eumque usque finem morbi retinent; nec tamen semper, nam in casibus non paucis character febris inflammatoriae evadit nervosus, vel nervoso-septicus; et tunc vocatur dysenteria nervosa, vel putrida.

### Symptomata.

Ut natura morbi perlustretur, oportet mutationes, per singula stadia prorumpentes, assidue prosequi. Horum quatuor statui possunt: a) Stadium prodromorum. b) Acme, seu stadium morbi evoluti. c) Decrementi. d) convalescentiae.

a) Stadium prodromorum pro diversa constitutione individuali, nec non pro diversa epidemia regnante variis se se characterisat phaenomenis: semper adsunt symptomata febris, frequentius mitioris, utpote horripilatio, frigus cum calore alternans, artuum dedolatio, anorexia, nausea, non raro vomituritio, imo vomitus; observantur saepe dolores articulorum, tendinum, rheumatismo similes, non-



nunquam phaenomena poly — et cacocholiae biliosae; alias signa catarrhi organorum respirationis; frequentissime vero dolores in abdomine transitorii, lancinantes, scindentes, diarrhoea, saepius alvus constipata. Quae omnia informant statum tubi alimentaris alienatum esse, quin ex illis solis, nisi epidemia tali praesente, dysenteriam futuram praesagire valeamus. Excurrit isthoc stadium per unum, alterumve, saepe per plures, usque quatuordecim dies.

b) Stadium acmes, seu morbi evoluti subinde sine ullis prodromis hominem adparenter sanum invadens, sequentibus manifestatur. Aeger persentit in abdomine dolores scindentes, lacerantes, pungentes, frequentissime in regione infraumbilicali, saepe in sacrali, continuos, neque tamen eadem intensitate perdurantes; mitigantur enim, exiguo tempore silent, iterum intensiores revertuntur, quod certe febrilem dysenteriae naturam comprobat; morbus enim hic certas fere per horas aliquomodo remittit, vespertino autem, vel noctis tempore, quo febriles accessiones exacerbari consueverant, magis furit. Dolores socium habent tenesimum summe dolorificum, ad alvum evacuandam adeo vehementi nisu impellentem, ut intestinum rectum saepe prolabatur; quibusdam, praecipue vero pueris, ob deiectionum frequentiam, et nixus vehementiam anus ipsa, foedo sane spectaculo iterum iterumque prolabitur, ac, nisi promptius reposita, strangulatur et cito gangraenescit. Aeger tenesmo diu noctuque ita cruciatur, ut unius horae spatio decies, imo vigesies, et spatio nycthemeri, secundum Zimmermann centum, et ultra vicibus ad alvum deponendam cogatur, nulla tamen aut parcissima evacuatione subsequente. Dum evacuatio contingit, excernitur vel serum, vel mucus spissior, vel bilis varii coloris; subinde exernuntur vermes. Non raro liquidis immixtus est sanguis; vel purus evacuatur; subinde materia puriformis, ab intestini recti superficie interna morbosa

secreta, solidescit, ac in pseudomembranas conversa, variis sub formis, per anum expellitur. Quantitas liquidi evacuati variat, subinde paucas drachmas, saepe libras plures efficit. Evacuatione praegressa levamen, exiguum vero et brevissimum, aegri experiuntur. His subinde se adsociant symptomata consensualia: dysuria, ischuria, vomituritio, vomitus, cephalaea ingens, tussis, spasmi diversarum corporis partium. Durante stadio hoc per septem, usque quatuordecim dies, sub therapia rationali morbus iudicatur. Sequitur

c) Decrementi morbi stadium. Characterisatur istud phaenomenorum prius enumeratorum imminutione. Tormina suam ferocitatem deponunt, tenesmus mitigatur, flatus hinc inde sonori per anum redduntur, faeces aliquando figuratae cum emolumento, vel saltem pultaceae minusque liquidae secedunt. In aegris quibusdam, exanthema cutaneum, apud alios, dolor artuum quasi rheumaticus, intestina liberasse videntur. Cephalaea silet, pulsus fiunt aequabiles, frequentia magis normales, appetitus revertitur, habitus faciei fit hilaris, functiones omnes evadunt normales. Stadio per tres, septem, usque quatuordecim dies excurrente, attingit aeger.

d) Stadium reconvalescentiae. In hoc functionibus omnibus, solaque dispositione ad morbum perpessum superstita, normalibus, regimen solum diaeteticum per unam, alteramque septimanam, ne, orci faucibus ereptus, recidivam patiatu convalescens, observandum erit.

Dysenteria aestate adulta, vel autumnos late per populum saeviens, iubente sic regnantis epidemiae genio, febrem diversi characteris, diversa sub forma comitem, acquirit. Dum febris inflammatoria mitior est, formam habet vel febris rheumaticae, quam M. Stoll observavit, vel febris catarrhalis, qualem epidemice grassantem Galli experti sunt. Harum dysenteriae specierum symptomata, au-

gustiae huius opusculi, mihi memorare vetant; neque observatorem strenuum symptomata febris rheumaticae, aut catarrhalis fugient, in his febris speciebus versatum. —

Maxime interest, partim ob symptomatum diversitatem, partim ob therapiae modificationem, in symptomata dysenteriae, febre inflammatoria valida, febre nervosa, et putrida, stipatae, inquirere.

*In dysenteria inflammatoria*, fortiores habitu, cuiuscunque demum aetatis, aut sexus, homines, vel iuvene sic regnantis morbi genio, minus etiam robusti, mox a febre violenta, continua, frigore nempe magis conspicuo, calore magno, ac pulsu frequente, pleno, serius duro, — maxime autem a saevis torminibus, hinc inde cedere, aut cessare visis, mox vero cum augmento redivisus, uniferre loco abdominis infixis, mox omnem super ventrem dispersis, invaduntur. In hac specie dysenteriae cephalaea est intensa, sitis magna, tenesmus molestissimus, urina flammea, parca.

*Dysenteria nervosa et putrida*, cognoscitur ex prostratione virium magna, turgore vitali collapsio, pulsu parvo molli, irregulari, lingua arida, saepe brunnea, inquietudine magna, artuum tremore, subsultu tendinum, spasmis, somnolentia, deliriis, meteorismo, sudore profuso, nil alleviante, sub quo propullulant miliaria, petechiae, aphthae oris, oesophagi, ventriculi, per sua symptomata cognoscendae, — serius comparent: decubitus gangraenescentes, respiratio difficilis, aponia, quae omnia indicant, tristissimum instare morbi exitum.

### Causa proxima dysenteriae.

In pertractatione huius ita rem instituendam esse duxi, ut adductis prius antiquorum circa hanc aegritudinem opinionibus, tum ex illis, tum ex recentiorum sententiis, ductis parallelis sinceræ veritati eo propinquius accedam.

Hippocrates, Galenus, Coelius Aurelianus dysenteriam, intestinorum ulcerationem esse putabant, quam veterum opinionem iam C. Sydenham in dubium vocavit, perque indefessos recentiorum conatus evictum est, ulcerationem, quam veteres, causam dysenteriae efficientem putabant, non nisi effectum huius morbi esse. Helmontius pylori fervorem, et fermentum fellis pro causa proxima venditavit. Alii, his abnuentes, aetheream ciborum partem, ab alimentis effervescentibus impeditam, pro causa proxima agnoverunt. Tali modo solum sporadicam explicarunt dysenteriam. Alia prorsus contagiosae ratio erat: foecundato quippe aëre variis miasmatis acerbis, salinis, sulfureis, et aliis, ex fœdinis, lacubus, carceribus prorumpentibus, morbum ita propagari docuerunt, ut sanguis inficeretur, qui dein intestinis miasmata fermentativa, unde torturas feraces explicarunt, communicaret.

Talem facem de dysenteria protulit antiquior aetas, qua neque senior meliorem producere valuit ita, ut medici ad entia absurda, vel materias acres, putridas, biliosas, irritantes etc. confugerent; donec seculo priori, praecunte Hallero, theoria morbi ex irritabilitate ac sensibilitate dilucidata, recentiorumque operibus Fel Fontana, Galvani, Stollii, et aliorum illustrata fuisset. Ab illo tempore, inquam, curiosi naturae scrutatores profitentur causam proximam dysenteriae esse inflammationem, quam opinionem probabilem investigatio cadaverum extra omne dubium ponit: reperitur enim semper inflammatio in tubo intestinali, et quidem sedes inflammationis principalis est in ipso intestino recto, unde tenesmus ille dolorificus evacuationem faecum impediens, et dolores scindentes proveniunt; inflammatio haec saepe tantum est superficialis, membranam mucosam adficiens erysipelacea; sed saepe est profundior, phlegmonosa, nec semper tantum ad intestinum rectum restricta est, quo in casu summa inter

plures cynanchis gutturalis species atque dysenteriam affinitas intercedit, sed non raro, ut investigationes docuerunt, inflammatio extenditur per partem maiorem intestini crassi, imo subinde participat ex inflammatione et intestinum tenue, ita, ut inter veritates medicas pertineat, dysenteriam omnem esse speciem enteritidis, non semper iisdem symptomatibus se manifestantem, sed variis, pro diversa constitutione individuali aegri, pro diversa constitutione epidemiae regnantis, ac pro diversitate causarum excitantium.

### Differentiae ab aliis morbis.

Adfectiones intestinorum cum dysenteria, ob analogam excretionis rationem, a minus adtento facile confundendae, prae ceteris sunt sequentes:

- 1) Haemorrhoides fluentes. Eo a dysenteria distinctae, quod malum sporadicum, diuturnum, inordinate plurimum comparens, sistant; sanguis ex ano stillans secedit absque torminibus, vel non nisi levi tenesmo, eoque brevi evanescente.
- 2) Diarrhoea. Epidemica quidem, et constitutionalis, prout dysenteria, est; ast febris, ac torminum absentia, et defectu excreti sanguinis meri characterisatur.
- 3) Fluxus hepaticus. Distiguitur quaeprae obstructione hepatis per menses, imo saepe per annum durante; habitu aegri pallido, cachectico, serius hydropes accedente; licet excretiones loturae carnis similes sint, facile tamen noscitur.
- 4) Cholera. Excretionibus alvinis illis simul ore ejectis, similibus stercoraceis sat tuto dignoscitur, quibus profusis, ut socii: spasmi, et convulsiones extremitatum inferiorum semet adjungunt.

5) Lienteria. A nimia movendi intestinorum facultate, admodum aucta, vel ab ipsa ventriculi atonia originem suam repetens, cibus minime mutatis, et velocissime excretis primo obtutu a nemine in dubium trahetur.

6) Fluxus coeliacus. Licet omnes intestinorum difficultates praesferat, indole tamen sua sporadica, et longa duratione a dysenteria differt. Tandem

7) Diarrhoea purulenta, ulcerosa, saniosa. Habet quidem febrim hecticam sociam nec non ex irritatione materiae acris tenesnum molestum, ex praegressa tamen inflammatione viscerum abdominalium, anamnastica indagatione sat tuto dignosci potest.

### A e t i o l o g i a .

Potentiae nocentes aliae sunt disponentes, excitantes aliae, aut jam excitatum morbum exasperantes. — Dispositio non solum partium conformationi, sed cunctis etiam potentiis in corpus agentibus innititur; maximam autem harum partem anni tempestetes (et in his aër homines circumdans, diversissimarum modificationum) efficiunt. Qualiter hiems, et ver corpus disponant, arcti limites huius opusculi explanare vetant. Ast, quid aetas autumnus, et aëris constitutio speciatim in genesim dysenteriae conferant breviter hic enucleabo.

Observatio docet: aestatis sidus influxu suo imperioso, non tantum temperiem aëris alterare, et aërem effluviis diversis impraegrane; sed etiam individuorum organicorum vires ita exercere posse, ut illae, quae antea munus suum efficaciter obivere, nunc torpeant; aliae vicissim prius latentes, modo animentur. Corpus quidem humanum non est tantopere huic tribunali obnoxium; sed tamen nulla est anni pars, nulla aëris vicissitudo, quae illud plus minus non adficeret. E. C. Aestate systema dermaticum, hepar,

et alia viscera abdominalia cum illo in nexu priore organico constituta (antagonismo definiendo) ita se habent, ut exaltata cutis functione, oppositionem sustinentia, languescant; languor vero hic, et humorum, et virium distributionem inaequalem efficere debet, eamque eo ocyus, et corpori tanto magis damnosam, quo exaltata ibi efficacia sub aestatis adultae, aut autumnii coelo, frequentioribus vicissitudinibus obnoxio potentius turbetur, aut repente supprimatur. Talem virium in antithesi positarum turbam fieri, aequae cum perturbatione efficaciae vitalis in parte opposita vigentis, necesse est. Probant hoc, ex repentina transpirationis suppressione ortae, diarrhoea, et cholera; nec non aliae adfectiones acutae, praecipue ex secretionis perversione natae.

Potentem offendimus causam praedisponentem, et simul excitantem in peculiari aëris atmospherici constitutione; quotidiana enim docemur experientia: sub tropicis in utraque India, et apud nos in Hungaria sub finem aestatis, ac initio autumnii; fervidiore quippe aestate praegressa, in quibusdam saltem Patriae nostrae partibus, frequentioribus exundationibus obnoxio, dysenteriam esse endemicam. Peculiaris haec atmosphaerae constitutio, per exhalationes continuas corrupta, primo quidem praedisponit, postmodum vero sola dysenteriam epidemicam in corpore prius disposito excitare valet.

Inter causas excitantes offenduntur fructus horrei, quos tamen tanti criminis insontes esse veterum jam aliqui viri eximii notarunt; et qui dysenterias iis adeo temporibus, quibus aut nulli sunt ex illis, aut quo fructus nec dum ulli gustari potuerant, epidemice tamen per integras provincias grassari viderunt; illi non vano hanc causam argumento reiecerunt. Potest tamen excitari dysenteria per fructus horreos nimia quantitate ingestos, imprimis immaturos vel corruptos. — Frequentior causa ex-

citans est refrigerium; opponunt quidem alii, quod in regionibus frigidis rariores sint dysenteriae, longe frequentiores in regionibus calidis. Observatio haec vera est, nam per nimium calorem dispositio inducitur, functio enim cutis magis excessiva redditur, et per consensum tubi intestinalis irritabilitas exaltatur, nunc vel minimo refrigerio (aut per potum gelidum, aut aërem frigidum) admissa functio cutis impeditur, antagonistica contingit tubi intestinalis, saepe et hepatis irritatio, et sic dysenteria in lucem emergit. — Subinde excitatur dysenteria sporadica per evacuationes alias suppressas; per suppressum fluxum catamenialem, haemorrhoidialem, sed et per morbos alios e cute evanidos. — Denique causis excitantibus adnumerari potest et contagium, cuius tamen existentia, sicut et ipsa contagiosa dysenteriae indoles sub iudice lis est. Sunt, qui adfirmant morbum semper contagiosum esse, dum alii talem existere negant. In hac dissensione ad observationes fide dignas confugiendum esse censeo, quibus omnino convincimur dysenteriam evadere posse contagiosam, dum faciem typhi cum caractere nevoso putrido induit, tunc enim contagium evolvi, et in praedispositis morbum provocare potest.

Sponte nunc fluit quaestio certo momentosa. Qui corpus ita disponi possit, ut potentia quaequam nocens influxum suum, et actionem non ad alias partes, sed directe ad intestina crassa ita dirigat, ut in his secretio adeo obnormis evadat, ut universa oeconomia animalis in consensum trahatur? Quid contingat in universo corpore, ut pars illius unica tantum pro susceptione potentiae nocentis receptiva sit, et quare potentia illam partem specificè adficiat, hoc certe complicatum, et satis arduum solvendo sistit nodum. At, si superius in morbi natura determinanda adducta, ceteroquin a nullo neganda vera sint, tunc in solvendo paradigmate ita argumentari licebit: *Essentia*



dysenteriae absolvitur sensilitate ac irritabilitate dictarum partium, magnopere adaucta; sequitur hinc, in qua corporis parte alterutra harum augetur, in illa sensus organicus aequae acuitur in gradum usque saevissimi doloris, prouti pars sensus intensioris, aut minoris capax fuerit. Probant hoc assertum atrocissima in dysenteria tormina; intestina quippe, organa membranis ditissima, summe sensilia sunt. Deinde, ubi maior receptivitas aut irritatio, ibi maior quoque humorum adlicitur copia, qua sensus augeri, secretio vero perverti debet; ita quidem, ut, si vasa ibidem maiorem sanguinis copiam suscipiendi satis capacia fuerint, secretio mora humorum non tantum pervertatur, sed etiam mutata partium sanguinem constituentium proportione quantitativa et qualitativa, aut secessu illarum in partes propiores phlogisticam indolem contrahat, cujus dein effectus: aut secretionis sufflammationem, ut sub irrito excerrendi nisu in dysenteria sit, aut vasorum minimorum tantam extensionem, ut per poros illorum sanguis purus sub nisu continuo exprimitur; aut demum tensione nimia, vasorum raptionem, inflammationem, omnesque phlogoseos exitus in lucem prodire in dysenteriiis quotidianis imbuimur exemplis. — Quod dysenteriae in specie malignae hujus organicae mutationis rationem non sequantur, id epilogismum hunc non evertit, in iis enim actio causae tam tumultuaria est, ut lethifera brevi prosternat sensilitatem. Itaque omnibus, quae hucusque dicta sunt, expensis causam proximam dysenteriae esse sensilitatem et irritabilitatem exaltatam, nemo inficias ibit.

### Terminationes et Decursus.

Dysenteria omnis vel sanitate, — vel posthumis aliis morborum adfectionibus, — vel morte terminatur. *Sanitas* revertitur, si adfectioni locali, febre mitiori stipatae,

superveniunt crises, cum symptomatum imminutione salutare. Tales crises salutares sunt: sudor universalis; urina sedimento albo puriformi instructa; evacuationes cruentae, interdum e naribus, saepius ex intestino recto cum levamine aegri conspicuo contingentes. Signa redeuntis sanitatis: dolor et tenesmus mitiores, silentes, faeces figuratae, cum conspicuo levamine depositae, cutis calor, et transpiratio aequalis, adpetitus semet in dies magis insinuans, habitus hilaris, functiones omnes sensuum normales evadentes. — *Mala post morbum* perpeccum remanentia sunt: diarrhoea chronica, lienteria, fluxus hepaticus, fluxus coeliacus, sensuum hallucinationes, paralyses, exanthemata; indurationes intestini crassi e lymphae intra intestinorum tunicas collectae solidescencia, et tumores ex vassorum haemorrhoidalium extensione provenientes. Non raro remanent ulcera, quae nisi sanata fuerint, provocant tabem, hydropem. — Exitus morbi tristissimus est *mors*, qui annunciatu cruciatibus ventris summis, praecipue in dysenteriis inflammatoriis; doloribus intensissimis, diu noctuque saevientibus, meteorismo abdominis, speciatim tumore intestini recti, duro, insigniter inflammato, dolorifico, cui mox gangraena accedit lethalis. In dysenteriis nervosis putridis aequae gangraena comperet; ex sensibilitate et irritabilitate nimis aucta, et citissime sufflaminanda facile explicabilis. Pessimo isthoc morbi exitu imminente: lingua fit sicissima, crusta nigra oblecta, vix ex ore porrigenda, dentes, et gingivae nigrescunt, facies collabitur, oculi in orbitas recidunt, respiratio est brevis saepe stertorosa, pulsus minimi, inaequales, creberrimi, intermittentes, viribus fatigatis gravitas corporis plumbea; his se adiungunt: singultus, alior extrematum sudore frigido, aestu simul partium internarum praesente, nec non lipothymiae, ultimo doloribus omnibus cessantibus mors.

*Duratio morbi a maiori vel minori ejusdem intensitatis gradu, ab exitu felici vel infelici ac demum a therapiae adhibitae ratione dependens varia est. Morbus mitior inter septem, novem, aut quatuordecim dies terminatur sanitate, solvitur crisis superius memoratis. Gravior saepe per tres, quatuor imo et quinque septimanas ante plenum sui iudicium excurrit. Iudicato morbo, aut sanitas revertitur, aut inflammatione non penitus resoluta supra-dictae terminationes expectandae erunt, aut, antequam iudicetur, vita exstinguitur.*

*Sectio cadaverum.* In cadaveribus e mitiori dysenteria demortuis, intestinum rectum quasi erysipelacea solum rubedine praeditum, aut ulcerosum inventum est; secus intestinorum tenuium tractus inferior, et initium coli inflammatum, ex rubro lividum, vasis turgentibus, et omni textu celluloso pertuso, nequaquam tamen sphacelosum. Sub epidemia graviore glandulae intestinorum tumidae, arrosae, ulceratae; intestina crassa vasis innumeris permeata, gelatina quasi obducta; nonnunquam vero in superficie interna quasi variolis, vel pustulis obsita; mesenterii tubercula, abscessus, carunculae; subinde ventriculus arrosus, vel cruore effuso maculatus, similiaque alia inventa fuere. In nonnullis hepar cum cystide fellea penitus incolome, in aliis autem vesica fellea aut vacua, aut parum bilis, ceteroquin atram, quasi piceam materiam, continens fuit. Integumenta communia per totam superficiem peculiater mollia, sublivida, vel secundum genus epidemiae diversis striis, aut maculis variegata; abdomen ut plurimum tumidum seri parum continens, fuere.

## P r o g n o s i s.

Praesagium hoc in morbo tum ex aegri praegressa conditione, tum febris morbum concomitantis indole, tum

ex cognito gradatim epidemicae constitutionis caractere eruendum est. — Aetas tenerior, aut propecta nimis, puertatis instans periodus, graviditas, puerperium, corporis habitus cachecticus, valetudinarius, dysenteriae pericula auct. — Prognosin faustam sanitatis recuperandae, relate ad characterem febris concomitantis, augurari licebit: si febris characterem habeat synochae mitioris, praeterea si tenesmus, et tormina minus dolorifica, noctes paciores, excretiones alvinae sine tenesmo intensiore cum levamine depositae fuerint, si pulsus molliusculi, elati aequabiles, sudor et calor per universum corpus moderati, urinae sedimento levi adpareant, si adpetitus redeat; interdum menstrua subsequantur — si in gravidis partus, in arthriticis arthritis in conspectum prodeat; tandem si his therapia rationalis, naturae morbi individuali congrua, tempestive accedat. Contra vero infaustum erit praesagium, si febris, characteris inflammatorii intensioris fuerit, et enteritidi simillimam adfectionem excitet, vel si illa nervosae, aut putridae, aut nervoso-putridae indolis fuerit. Si frigus extremitatum, pulsus frequentes minimi, filiformes, intermittentes; debilitas summa, soporositas, delirium, subsultus tendinum, facies collapsa, acies oculorum imminuta, singultus, tenesmus cum alvo constipata accesserint.

Effata Hippocratis circa hunc morbum sunt sequentia: In longis dysenteriis cibi fastidium malum, et cum febre peius. A difficultate intestinorum levitas intestinorum supervenit. Dysenteria, si ab atra bile inceperit, lethalis est. Puri sanguinis effusio, dysenteriae adveniens, mala. Si dysenteria laboranti, velut carunculae eiiciantur, lethale est.

### T h e r a p i a .

Quot quantisque mutationibus inde a temporibus Galeni therapia dysenteriae obnoxia fuerit, hic exponere an-

gustia dissertationis non admittit; satis itaque dictu censeo: innumeras medicorum controversias ex obscura morbi genesi locum habuisse; neque enim hoc, indole, ac proxima eius causa incognitis aliter fieri potuit. Talibus medicorum dissensionibus effectum est, ut dysenteriae iam venaesectio, jam emeticum jam catharticum, jam opium, iam stipticum, aut roborans aliquod remedium, multaque alia tumultuarie, sine discrimine, exitu saepius infelici, solumque fortuito laeto, opposita fuerint. E tam diversa causarum, quae dysenteriam inducunt, et morbi ipsius indole erui satis potest non unam huic malo medendi methodum esse opponendam. Insano quidem nisu vulgus in sistendo hoc profluvio vix non unicum ponit operam, ac insignem antidysentericorum consultit catalogum. Postquam medici noscendis epidemiis, diligentiosem navassent operam, non tantum, cognita variarum epidemiarum indole, species diversae morbi indole, species diversae morbi innotuerunt; sed etiam therapia illius ad magnum perfectionis gradum elata est. Proinde therapiam constitutionis indoli, ac naturae morbi individuali, quantum licet, convenientem sequentibus pertractabo.

In cura cuiuscunque dysenteriae indicatio prima est *causalis*. Itaque si cognoverimus causam dysenteriae esse ingesta, et saburram inde generatam, tunc contra ipsam dysenteriam evacuatio saburrae indicata est. Et quidem si adfuerint signa saburrae sursum versus turgescens, tunc emeticum statim ad exordium morbi exhibitum, ut: Tartras lixivae stibiatus, vel Ipecacuanha ulteriorem morbi evolutionem ex integro impedit; si vero adsint signa eiusdem deorsum versus turgescens, tunc purgantia, sed tantum blandiora, ut laudantur ab auctoribus: pulpa tamarindorum, oleum ricini, in aegrorum salutem operabuntur. Drastica, ut: Aloë, Jalapa cum summa cautela exhiberi debent; ne inflammationem sub omni dysenteria la-

tentem in perniciem aegri exaltent. — Si forte causa excitans fuerit morbus quicumque e cuti evanidus, tunc quo ocyus irritatione cutis morbus est revocandus. — Interdum dysenteria est intermittens, symptoma febris intermittens constituens, aut si illius soboles fuerit, tunc peruviano cortice, opio iuncto, fuganda est.

Altera indicatio a *charactere febris* dysenteriam concomitantis, desummenda est. Itaque si febris symptomata energiam virium exaltatam, et cum locali adfectione ita coniunctam esse, ut sensibilitas ibidem in ipsam phlogosim eleyetur, indigent, et morbus characterem vere inflammatorium (Dyserteria inflammatoria) exhibeat, tunc certo sola methodus antiphlogistica in salutem aegri operabitur. Adornabitur haec cura secundum gradum, et intensitatem morbi; sic saepe characterem febris subinflammatorio, mitiori, et tenesmo minus molesto, iam solum regimen antiphlogisticum, diaeta tenui, atque potu mucilaginoso: uti emulsione amygdalarum dulcium tenui, decoctis: althaeae, hordei, avenae, rad. salep; hisque similibus, sitim sedantibus, ac demulcentibus, ad morbum vincendum sufficit. Monendum tamen talem rerum statum, tamque mitem morbum, ut haec sola sufficiant, rarissimum esse. Saepe est febris valida, pulsus frequentissimus, aut suppressus, tormina atrocissima, tenesmus summe dolorificus, fere continuus; tali rerum positione ad efficaciora antiphlogistica recurrimus. Principem inter haec venae sectio sibi locum meretur: vulnere quidem amplo, larga sanguinis quantitate, ad uncias octo, et ultra emissa; ab hac enim sola sperare licet, fore, ut humorum orgasmus mitigetur, et imminens enteritis horrenda arceatur. Non raro et post universalem sanguinis evacuationem topica quoque requiritur; saepe haec sine universali mitiore morbi gradu praesente sufficit; quae instituitur cucurbitularum, aut hirudinum ope, orificio ani, perinaeo, regioni

sacrali, aut pubis, vel regionibus inguinalibus, pro ratione adfectionis localis, adplicitarum; numero earum ex intensitate morbi determinando. C. Broussais numerosas commendat hirudines, ad sexaginta et ultra, quod apud nos rarissime necessarium est; sufficiunt enim pauciores: sex, octo, duodecim, aut viginti quatuor. Interne usus emulsionum, mucilaginosorum, demulcentium, blandorum ecoproticorum, ut pulpae tamarindorum, prunorum, mannae; olei ricini, ad summam stimulorum imminuendam utilis est. Abstinentum vero ab antiphlogisticis salinis, imo etiam nitro, utpote dosi exiqua nihil iuvantibus, maiori autem irritando malum exasperantibus. Remediis internis non sufficientibus, et ad externa recurrimus: sub diligenti adtentione, ne refrigerium locum habeat, fomenta, et cataplasmata emollientia, emollienti-narcotica, ipsa etiam epispastica, actione sua antagonistica, ad rubedinem usque cutis adplicita utilia sunt. Fracta morbi vi sub tepore lecti aequabili lenissima diapnoica, manu cauta, ne forte latens diathesis inflammatoria excitetur, exhibita, bene conveniunt. Ultimo hic, quoad naturam morbi inflammatoriam, et methodum ei opponendam antiphlogisticam, reflectendum habeo: popularem constitutionem saepe ita proteiformem esse, ut solum notam inflammatoriam aemuletur, et cum virium energia imminuta locales ponat phlogoses, Re ita se habente rationem summam epidemiae regnantis habendam, et consilium methodi antiphlogisticae restringendum esse existimo.

Si morbus praeter febrim, et tenesimum, praecipue noctu recrudescens, tensionibus dorsi, cervicis, sensibilitate, ac irritabilitate in specie cutis, et viscerum abdominalium auctis ita stipetur, ut aeger in his partibus ardorem sentiat, urinas cum dolore deponat, et aëris vicissitudinibus potenter adficiatur (Dysenteria catarrhosorheumatica), indicatio curae duplex erit: altera contra fe-

brim, contra sensilitatem altera. Ne sensibilitas aucta, vel inflammatio, sub tali rerum statu frequentius illegitima, in veram, et legitimam transeat, aut quaecunque alia complicatio emergat, sequentia commendant auctores: clysteres emollientes, pacantes, oleasas. Scimus autem sedem morbi non esse semper intestinum rectum; hinc an utiles clysteres? et siphon clysteris adplicando irritat, sic potius inflammationem auget; nonnuquam Rectum per nimium prolabitur, et adplicationem clysmatis impossibilem reddit; haec contra clysteres pugnant. Interim, si minor inflammationis status admittat, clysteres ex amylo cum aliquot guttis tincturae anodynae simplicis utiliter exhiberi possunt. Cataplasmata emollientia hic quoque multum praestant. E herba cicutae, hyoscyami, chamomillae cum speciebus emollientibus regioni umbilicali, vel pro ratione sedis morbi aliis regionibus adposita. Si refrigerium sub horum usu evitari nequit, potius substituuntur illis illinitiones anodynae: Olei olivarum cum liquore ammonii caustici, tinctura opii simplicis, et camphora, quae vel manu leviter infricantur, vel linteo, aut panno laneo tenuiori (Flanell) excepta, abdomini imponuntur. Non mediocrem reflexionem balnea, et semicupia emollientia, bis de die adhibita, merentur; magnas horum quoque vires in similibus casibus experti sunt observatores. Interne sub usu balneorum sal ammoniacus, tartarus emeticus, ipecacuanha refracta dosi, et pulvis Doveri, versus vespas exhibita, egregium saepe praestiterunt effectum. Praeterea infusum florum sambuci, tiliae, roos sambuci, spiritus Mindereri, aut potus mucilaginosi utilia erunt. Efficaciora adhuc sunt anodyna, sensilitatem quippe nervorum sedantia, spasmos solventia, ipsamque notam inflammatoriam, nedum ortam, praevertentia. Ad haec extractum hyoscyami, praeprius vero ipecacuanha dosi refracta, vel sola, vel cum opio coniuncta pertinet; opium



ipsum, in dysenteria absque dubio princeps remedium; movet enim diaphoresim, sopit irritabilitatem, et secretionem serosam, morbose auctam, restringit, sicque deiectiones frequentes cohibet.

Et *nux vomica* in dysenteria, a sensibilitate aucta proveniente, probatae virtutis remedium constituit, quod ex antiquioribus cl. Hagström aliquot centenis evicit experimentis. In epidemia nucem vomicam in pulvere ad scrupulum unum exhibuit, praemisso subinde rheo cremore tartari, permixto; et fuerunt aegri, qui unice pulvere hocce mane, tribus vel quatuor diebus dato, convaluerunt; vehiculum fuit aqua vel cerevisia calida, quae mihiorem et meliorem effectum, quam frigida exseruit. In delicatioribus boli ex nucem vomica et electuario diascordii parati sunt. Granis quindecim mane et vespere datis dysenteriam in foemina leprosa stipavit cl. Odhelius, qui usum in dysenteria dosi granorum 10—12—15 semel vel bis de die ulterius postea confirmavit. Plures alii quoque loquuntur de efficacia eius in hoc morbo; praemisso tamen secundum eorum relata emetico, si sordes in lingua se se manifestaverint. Hartmann etiam multos nucem vomica sanavit aegros dysenteria afflictos; refert tamen post sanationem in plurimis nauseam levem, imminutam ciborum adpetentiam diutius, quam alias, superstitem se advertisse. Sufficere adultis grana 10—12 bis de die sumpta ad mitiganda tormina, et deiectiones minuendas expertus est Dallberg, cui Zetterberg perscripsit infantibus etiam, minori tamen dosi, eam proficuum esse. Serius Dr. Rummel Merseburgi, et Dr. P. Müller confirmarunt vires eius medicatas in dysenteria, porrectis pilulis ex substantia et extracto nucis vomicae partibus ana paratis, et grana 8—10 de die exhibitis, praecipue vero in dysenteria mucosa. Recentissimo tempore C. Hufeland, Fischer, et alii magnis extollunt laudibus nucem vomicam huic morbo op-

positam. Cl. Vogt contendit nucem vomicam salutarem evadere, si sublato stadio inflammatorio, praeter dysenteriam, singularia adhuc symptomata nervosa in abdomine se manifestent, cum abnormi, sed non profuso, secretione iuncta, Cel. Hufeland et cl. Augustin praeferebant in dysenteria praecipue formulam sequentem: Rp. Nucis vomicae grana tria, Gummi arabici, Sacchari albi aa scrupulum dimidium. Exhibeatur ter de die talis dosis. Adhibetur etiam sub forma pilularum, uti: Rp. Nucis vomicae drachmam dimidiam, Conservae rosarum quant. suff. ad form. pil. Nro 10. bis aut ter de die pilula una. Aut Rp. Nucis vomicae granum unum ad sex. Sacchari albi scupul. semis. Roob sambuci quant. suff. ad form. pil. Nro 6. Omni bihorio pil. una.

Si constitutione epidemica ita iubente character dysenteriae evadat biliosus, sic, ut praeter saepe fata morbi symptomata lingua sordida, mūco flavicante oblecta, sapor oris amarus, praecordiorum anxietas, faeces excretae biliosae, urina chartam albam flavicante colore tingens, crocea, in conspectum prodeant (Dysenteria biliosa), tunc indicatio prima est, ut nota biliosa, quo ocyus deleatur, morbusque simplex reddatur. Stollio iam momente in tali casu optimum remedium est emeticum, vel facibus biliosis in partem inferiorum intestinorum ingressis, emeto-catharticum. Comprobata diagnosi emesim ipecacuanha, alvum eccoproticis lenioribus, neque tamen salinis movemus. Sic et stimuli materiales subtrahuntur; et conciliata nova nervis impressione crisis salutaris producitur, nec non character nervosus, in quem morbi biliosi acuti proni sunt, praeventitur. Praemissis, dictis remediis, et torminibus ac tenesmo longius perdurantibus calomel cum opio copulatum propinamus, quorum altero glandularum intestinalium, ac pancreatis humor blandus (salivatio intestinalis) irritantis materiae indolem tempe-

rans, et inflammationem superventuram arcens movetur; altero sensibilitatem imminuendo, torminibus et tenesmo multum demitur. Nota biliosa sublata posteriores indicationes circumspecto medico character morbi, prout ille aliquid inflammatorii, nervosi, aut putridi, vel nervoso — putridi habuerit, manifestabit, quare talibus alibi abunde adlatis hic supersedeo.

Si epidemica aëris constitutione ita progrediente dysenterijs character uervosus, aut putridus (Dysenteria nervosa, dysenteria septorrhæpes Swed; putrida, maligna, syntectica, colliquativa Auct.) imprimatur, cura duplici momento innititur, rationi scilicet virium, et localis affectionis ad illas relationi; has igitur, quantum fieri potest, determinare, primum est medici officium. — Experientia scimus: cunctas nervosas affectiones, nomine typhi, vel febris nervosae, malignae insignitas, initium suum vel a quadam virium incitatione, vel nonnullarum ex illis suppressione, vel omnium subitanea prostratione, summere. Conditio vero localis affectionis plus minus talis est, ut in ceteris dysenterijs, hoc characterē destitutis. Ex his patet, indicationes curae iuxta statum virium, et localis affectionis indolem varias esse debere. Unde elucet vires irritatas, vel suppressas ad normam reducendas, sensilitatem vero sopiendam esse. Hoc scopo antiphlogistica leniora, in specie mucilaginem gg. arab.) decocta saturata rad. salep. lichenis island., et sub horum usu mox viribus compositis, opium quoque adhibemus, ita quidem: si tenesmus nimis urget, in decocto salep opium solutum pauca quantitate forma clysteris ano adplicamus; ad abdomen fomentationes aromaticas, vinosas ter, quater de die, nec non epithemata sicca adponimus. Malo altius se extollente sinapismos, vesicantia ad rubedinem cutis usque ordinamus. Ad vires repente lapsas excitandas adhibemus camphoram, moschum, praeparata ammoniae, aliaque sti-

mulantia quorum usum, tenesmo simul prospicientes, mucilaginosi iungimus remediis. In tali casu a balneis tepidis, aromaticis, vinosisque practici saepe incomparabiles observarunt effectus. — Si dysenteria syntecticae indolis fuerit, pulveres Doveri, opium dosi magna, alumen, saccharum saturni, rad. columbo, tormentillae, arnicae, cortex chinae, adhiberi poterunt. Quoad virium moderamen, et ultiores in hac maligna dysenteriae specie indicatones, eadem therapiae ratio, quae in vasta theoria typhi, et febris nervosae, nec non nervoso — putridae panditur, observanda erit, — quare consilium, ob angustias huius opusculi, illuc transferendum, censeo.



## T h e s e s .

1. Causa proxima dysenteriae est inflammatio tubi intestinalis: est proinde morbus enteritidi summe analogus.
2. Causa proxima oedematis consistit in relatione inter secretionem et absorptionem textus cellulosi vitata.
3. Morbi quidam universales ad concitandas ophthalmias specificas soli haud sufficiunt; verum unicum tantum ophthalmiae momentum, sc. praedisponens largiuntur. Hinc adparet,
4. Erroneam esse opinionem eorum, qui ophthalmias specificas pro symptomate latentis morbi universalis habent.
5. Cataracta nigra est morbus ab amaurosi omni respectu diversus: male igitur ut synonyma amauroseos habetur.
6. Cortex peruvianus magis desideratum exseret effectum tempore apyrexiae, quam brevi ante paroxysmum exhibitus.
7. Sanguinis depletio, quoad effectum, pure localis non datur.

8. Mors hominis individualis tantummodo est: morte enim transitus solum fit in alium vitae modum, et gradum. Hinc.
9. Posita morte unius ponitur nativitas alterius.
10. Vani sunt conatus Physiologorum veram construendi conceptionis, et foecundationis ideam.
11. Medico magis prodest, plura vidisse, quam legisse.
12. Medicus, etsi expertissimus in curandis feliciter morbis, multum fortunae debet.

